

que necessariam ad percipiendos ejusdem effectus. Quod plane innuit SS. Dom. Nost. Benedictus Papa XIV. tum Instit. 9. Edition. Roman. num. 12. cum in prælaudata Const. *Etsi*, in qua §. 9. hæc habet: *Ut autem ab iis, qui in prima sunt ætate, sermo instituat. . . moneat Episcopus Parochos, eisque districte præcipiat, ne quis eorum schedulam, ut ajunt, Confirmationis iis tradat, qui graviora Fidei, & doctrinæ capita, & Sacramenti virtutem, & vim ignorent.* Ratio secundæ partis est, quia sicuti idem Sacramentum Confirmationis, non solum valide, sed etiam licite, potest etiam juxta præsentem disciplinam quandoque ministrari pueris ante usum rationis (iis enim confert ad augmentum gratiæ &c.) si nempe sint in mortis periculo, aut Episcopo in posterum facilis non sit ad eos futurus accessus ob sui ingravescentem ætatem, vel propter eorum distantiam à Civitate, aut propter itineris difficultatem, ut dissertissime tradit idem SS. D.N. in Opere de Synodo Diocesana lib. 7. cap. 10. ita in eisdem circumstantiis potest Parochus puero permittere ut accedat ad idem Sacramentum: licet aliud non didicerit, quam Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & Symbolum Apostolorum.

CAS. II. Sejo indigens nummis, mutuo petit quindecim aureos à Francisco, offerens ei pignus in securitatem sortis, eique restitutionem promittens post certum tempus. Annuit Franciscus; subdit tamen: Volo quod si elapso hoc termino statim non solvas, pignus pro vendito habeatur. Q. an hoc sit immune ab usura?

Respondeo ordinariè, ac per se, non esse immune ab usura. Ratio est, quia sic Sejo imponitur onus considerabile ultra sortem ratione mutui immediate; cum enim pignus ordinariè plus valeat, quam pecunia mutuata, dato eventu moræ in Sejo ad solvendum tempore præfixo, Franciscus ab eo acciperet quid notabile ultra sortem ratione ipsius mutui, cum non sit ei debitum ratione lucri cessantis, vel ex alio titulo, sicuti supponitur. Sed hoc non est immune ab usura, prout communissime fatentur DD. ergo &c. Hinc tunc à Jure Canonico in cap. *Significantes* de Pignoribus; cum à Jure Civili pluribus in locis hujusmodi conventio reprobat, & quidem taliter, ut plures Theologi, & Canonistæ asserant, Sejum renuntiare non posse beneficio juris, hujusmodi pactum improbant, cum id vetitum sit ad evitendâs innumeras usuras, & fraudes, quæ cum gravi detrimento boni publici secus fierent indigentibus, cum simili pacto abundanter offerre passim paratis solum ut necessarias acquirerent pecunias, ut notat Anacletus lib. 3. Decr. tit. 21. §. 2. num. 58. Per accidens tamen potest esse immune ab usura; puta, si intentio paciscentium sit, quod pignus pro vendito habeatur; pura, si intentio paciscentium sit, quod pignus pro vendito habeatur pretio justo, arbitrio boni, peritique viri taxando, l. *Si fundus*, ff. de Pignorib. hoc enim casu videretur quodammodo conditionalis esse venditio, & tunc quod ex justo pretio superest, restituitur debitori. Nec desunt qui dicant, tale pactum esse adhuc licitum, si apponatur in pœnam conventionalem ob moram culpabilem non solventis tempore præfixo, cum enim mutuatarîus existens in mora culpabili peccet contra justitiam, ac fidem datam, ob hanc culpam dignus est aliqua pœna, quæ propterea ex mutuo consensu potest licite apponi, dummodo sit moderata, & culpæ morosi de-

debitoris proportionata. Vide Giribaldum de mur. & usur. cap. 3. dub. 9.

CAS. III. Vellet Parochus infirmo Viaticum ministrare; at quia hic deglutire nequit sacram particulam, cogitat, crastina die Missam celebrare, & cum portione Sanguinis, post Sacrum, illi Viaticum ministrare sub specie Vini Q. an fieri id licite possit?

Resp. neg. cum Clericato de Euchar. decis. 14. Barbosa de Of. & Potest. Par. cap. 20. num. 44. Card. de Lugo Resp. Mor. lib. 1. du. 10 num. 8. Ratio desumitur ex ritu, consuetudine, ac praxi Ecclesiæ, infirmos non communicantis nisi sub specie panis, quæ consuetudo est optima legum interpretis, l. *Si de interpretatione*, ff. de leg., & pro lege habenda est, & nec pro libito mutari potest, ut patet ex Tridentino sess. 22. cap. 2. dicente: *Hanc consuetudinem sub altera specie communicandi, approbavit* (subintellige, Ecclesia) & *pro lege habendam decrevit: quam reprobare, aut sine Ecclesiæ auctoritate pro libito mutare non licet.* Nec obstat, Communionem in mortis periculo esse de jure divino; hanc vero consuetudinem esse de jure tantum Ecclesiastico, cui illud prævalet. Ideoque observandum videatur: non obstat, inquam, nam cum Eucharistiæ Sacramentum non sit simpliciter necessarium ad salutem, & hæc potestas perpetuo Ecclesiæ fuerit, ut *Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi; pro rerum, temporum, & locorum varietate, magis expedire judicaret,* ut ibidem loquitur Tridentinum; dicendum, quod divinum præceptum desinat obligare quando Eucharistiæ Sacramentum nequit administrari prout Ecclesia ipsum administrandum decrevit. Propterea cum hæc statuerit, ut dictum est, quod Laicis, & Clericis non conficientibus, ministretur tantum sub specie panis, sive sani sint, sive infirmi; ut ex praxi compertum est; ideo dicendum quod Parochus in casu non possit licite ministrare Viaticum infirmo sub specie vini, sed tantum in aqua, vel vino, vel alio liquore sacram particulam madefacere, & sic eam in cochleari infirmo administrare.

#### MENSE AUGUSTI.

CAS. I. CAja nupsit Sejo, & Seja Titio; neutrum tamen ex his Matrimonii, vel ex incuria, vel ob aliam causam, fuit benedictum. Nunc, mortuis Sejo, & Seja, nubunt simul Titius & Caja, instantque, ut tale Matrimonium solemniter benedicatur. Q. an licite hoc fieri possit?

Resp. affirm. cum Navarro in Sum. cap. 22. num. 83. Ugolino de Pot. Episc. c. 15. §. 12. num. 5. in fine, & aliis comm. Ratio est, quia benedictio proprie non respicit Nuptias, sed personas, quæ nubunt; cum ergo Caja, & Sejus non fuerint antea benedicti, possunt benedici, licet alias nupsissent. Nec oppositum evincitur ex Cap. *Vir de sect. Nupt.* ubi dicitur: *Vir autem, vel Mulier ad bigamiam transiens, non debet à Presbytero benedici,* nam textus ille procedit secundum ea, quæ regulariter eveniunt; unde cum regulariter omnes primæ Nuptiæ juxta præscriptum Ecclesiæ benedicantur, supponit, quod primæ jam fuerint benedictæ; quod in casu nostro non verificatur. Et sane quod in hac suppositione talis textus procedat, colligitur ex ra-

ratione ibi adducta: quia, inquit, cum alia vice benedicti sint, eorum benedictio iterari non debet. Quamobrem cum Sejus aut Caja non fuerint antea benedicti, dicendum, quod eorum secundum Matrimonium licite possit benedici.

CAS. II. Tempore ultimi Jubilæi obtinuit Titius relaxationem Voti; at quia ob paupertatem non fecit eleemosynam, sed Confessarius ipsi applicuit eam, quam aliis idem Titius facere debuisset, petit à Parocho, an talis applicatio fuerit sufficiens; & dato, quod non, an in ipso revivixerit voti obligatio. Quid Parochus respondet?

Respondet in primis, talem applicationem non fuisse sufficientem. Ratio est, quia licet Confessarius dixerit Titio pauperi in Confessione, quod, stante ipsius paupertate, ipsum quodammodo eximebat ab onere faciendi eleemosynam, applicando ipsi eam eleemosynam, quam idem pauper (ut exequeretur opus eleemosynæ pro Jubilæo inunctum) alteri facere debuisset; tamen per hujusmodi applicationem nec facta fuit eleemosynæ commutatio in aliud opus, nec adfuit alicujus rei facta ab ipsomet paupere alteri largitio in eleemosynam, prout opus erat ad Jubilæum lucrandum; siquidem ut interveniat elargitio alicujus rei vera & realis, debet ea manere privatus, qui illam dat, & in alium transferri debet dominium ejusdem, ut cum Passerino recte tradit Theodorus à Spir. Sanct. in suo Opere de Jubilæo cap. 6. §. 5. num. 12. in fine. Atqui de Titio in casu id affirmari non potest, ut constat terminis casus: ergo talis applicatio non fuit sufficiens ad hoc, ut Titius lucraretur Jubilæum. Quoad secundum postea, an nempe in Titio revivixerit Voti obligatio, respondet Parochus negative, eo quia Voti commutatio fuit absoluta. Viva de Jubil. quæst. 12. art. ult. num. 1.

CAS. III. Mulier pro executione litteræ Sac. Pœnitentiariæ, directæ Canonum, vel Theologiæ Doctori, recurrit ad Sergium Sac. Theologiæ laurea insignitum. Ast quia hic ab Archiepiscopo habet facultatem pro Confessionibus ad Mares tantum. Q. an possit exequi hujusmodi litteram?

Respondeo neg. Ratio est, quia facultas, gratiæ, & mandata, præsertim Apostolica, juxta intentionem concedentis sunt regulanda, & non ulterius extendenda, cap. *Mandatum de Rescriptis*; jam vero intentio Majoris Pœnitentiarii, seu Sac. Pœnitentiariæ est, ut nulla gratia ab ipsa concessa executioni manderetur, neque ejus facultate quisquam utatur, nisi in actu Sacramentalis Confessionis, ut expresse patet ex illa clausula: *Audita ipsius Sacramentali Confessione*, quæ importat conditionem, sine qua non concederetur talis facultas, aut gratia, ut ex stylo continuo, & numquam interpolato Tribunalis apparet. Sed Sergius quantumvis laurea Sacræ Theologiæ insignitus, utpote habens facultatem pro Confessionibus ad Mares tantum, nequit Mulierem audire in actu Sacramentalis Confessionis: ergo in casu non potest exequi hujusmodi litteram: ita SS. D. N. Notif. edita 2. Octob. 1738. n. 21.

### M E N S E S E P T E M B R I S.

CAS. I. Titius promissit Fabio sub juramento, se ad ejus favorem facturum rem quamdam; at fictè juravit, & promissit, eo quod nec ha-

habebat intentionem jurandi, nec promittendi, nec se obligandi, nec exequendi. Q. quonam peccato peccaverit, & an teneatur exequi quod promissit?

Resp. quoad primam partem, Titium sic fictè jurantem sine intentione jurandi &c. peccasse peccato mortali sacrilegii, mendacii, & gravis irreverentiæ divini Nominis contra virtutem Religionis, quatenus Dei nomen in vatum assumpsit, ut colligitur ex 25. Prop. dam. 26. Innoc. XI. Ratio est, quia juravit extrinsece falsum, cum juraverit sine animo exequendi id, quod Fabio promisserat se ad illius favorem facturum; ideoque per externum actum adduxit Deum in testem falsi, quod equidem lethale est, uti est tale adolere incensum idoli, quamvis interne quis non intendat illud venari. Quoad secundam partem postea respondeo, Titium ex vi juramenti & coram Deo non teneri ad exequendum id, quod fictè jurando promissit. Ratio est, quia obligatio ex vi juramenti oritur ex juramento vero, & proprio: atqui juramentum factum sine intentione jurandi, promittendi &c. non est juramentum verum & proprium, sed fictum & apparens; intentio enim jurandi est quasi anima verborum, quibus juratur, cum verba ordinentur ad explicandam intentionem, & animum; ergo Titius in casu ex vi juramenti, & coram Deo non tenetur ad exequendum, &c. Dixi *ex vi juramenti*, eo quia juramentum, quantumvis fictum, quandoque potest obligare tum ex charitate, ratione scandali vitandi, quod ex ejus transgressione oriretur, cum ex justitia, ratione damni alteri subsecuti; nam in tali casu jurans fictè fuit per injuriam causa illius damni: ni forte juramentum fuisset dolose, ac injuriose extortum. Dixi etiam *coram Deo*, seu in foro conscientiæ, nam in foro externo jurans obligari potest, & multoties obligatur ad servandum juramentum, ob præsentionem juramenti veri: forum enim externum accipit verba juxta ipsorum significationem, cap. ex litteris de sponsalibus. Vide Sanchez lib. 3. cap. 10. ac Suarez tom. 2. de Relig. lib. 3. c. 17.

CAS. II. Titius putans tenere ad Baptismum filium Sempronii, tenuit filiam Caji. Q. an cognationem contraxerit tam cum persona detenta, quam cum ejus parentibus.

Respondeo cum distinctione. Vel Titius ita habuit animum detinendi filium Sempronii, ut hunc, & non alium, vel aliam detinere intenderit; & in hoc casu dico, ipsum non contraxisse cognationem spiritualem cum persona detenta, neque cum ejusdem parentibus. Vel non habuit animum ita restrictum, sed potius intendit detinere illam personam præsentem; & tunc dico, ipsum contraxisse spiritualem cognationem cum detenta, ac ejus parentibus. Ratio primæ partis est, quia in eo casu nullo modo intendit exercere officium Patrini quoad personam detentam, sicut requiritur ad contrahendam cognationem spiritualem, ut patet in procuratore infantem detinente nomine alterius, qui cognationem non contrahit, quantumvis teneat, eo quia intentionem non habet exercendi officium patrini. Ratio secundæ partis est, quia tunc practice intendit exercere officium Patrini erga personam præsentem, quamvis speculative credat esse hanc, vel illam. Hinc sicuti valet Baptismus collatus à Parocho cum hoc errore spe-

culativo, eo ipso quod practice intendit baptizare subjectum præsens, & in tali casu vere contrahit cognationem spiritualem, tam cum persona præsentem, quam cum illius parentibus; Homobonus Consult. Mor. vol. 2. resp. 7. cum D. Thom. in 4. dist. 30. quæst. 1. art. 1. ita &c.

CAS. III. Matrona ruri degens, audita Missa in proprio Oratorio, accedit ad Parochialem Ecclesiam circa horam Vesperarum; cumque sit adhuc jejuna, petit refici à Parocho Eucharistiæ Sacramento. Q. an Parochus possit licite ei indulgere.

Respondeo negative. Ratio est, quia licet tam Rubrica Missalis, quam Sanctissimus Dominus noster in suis notificationibus solum vetent tamdiu protrahere celebrationem Missæ, quoad communionem vero non adsit hæc expressa prohibitio; tamen quia in praxi facillimum est, quod adstantes videntes Matronam hora adeo tarda, ac plane insolita Communionem sumere, nedum admirari incipiant, verum etiam de illa obmurmurare, eo quia in praxi ac consuetudini communiter in Ecclesiis servatæ dissonum esse negari non potest; ideo ob hanc causam satius judico, practice illicitum esse Parocho in casu matronæ indulgere, tum ne violetur praxis, cum ut periculum scandali evitetur.

#### M E N S E O C T O B R I S.

CAS. I. **F**Amula Parochi solita de ejus consilio recipere Eucharistiam ter in hebdomada, cum nequeat ob morbum periculosum, quo laborat, illam sumere jejuna, ab eo petit, ut ter in hebdomada ipsam communicet per modum Viatici. Q. an Parochus licite id peragere valeat.

Respondeo negative ob legem synodalem id vetantem in hac Diocesi, libro enim 2. Synodi Diocesanæ cap. 3. de Sacr. Euchar. §. *Ægrotum*, sic legitur: *Si æger in eodem vitæ discrimine diutius perseveret, aut superato per dies periculo relabatur in morbum, poterit iterum Viatico refici, nec petenti denegetur, dummodo dies saltem decem intercesserint à prima sumptione Eucharistiæ.* Cæterum ubi non habetur talis prohibitio, non adeo facile vituperandus Parochus, qui in casu nostro simili, indulgeret petenti; aliqui enim DD. cum Laymam lib. 5. sum. tract. 4. cap. 6. num. 20. etiam in sequenti die Viaticum repeti permittunt, si videatur instare mortis periculum, & ægrotus, qui cum sanus esset, frequenter consueverat Eucharisticum panem degustare, eo denuo nutrirî, & roborari cupiat; ut tradit SS. D. N. De Synodo lib. 7. cap. 12. n. 5. Nec obstat, quod Rituale Romanum de Commun. Infirm. dicat: *Si æger, sumpto Viatico, dies aliquot vixerit, vel periculum mortis evaserit, & communicare voluerit, ejus pio desiderio Parochus non deerit*; nam in primis mediant aliquot dies, eo ipso quod mediant duo, vel tres, ut ait Diana. Deinde illa Rubrica Ritualis est directiva tantum, non præceptiva, ut inter alios docet Card. Brancatius de Laur. Opusc. de Sacro Viatico pag. 158.

CAS. II. Habuit olim Cajus cum duabus Bertæ sororibus carnale commercium; propterea cum hic & nunc tractatum habeat ducendi Bertam, petit à Confessario, an pro dispensatione necesse sit exprimere, quod cum

Ber-

Berta habet affinitatem in primo gradu, & ex duplici capite. Quid responderet Confessarius.

Respondet, necesse est hoc exprimere. Ratio est, quia cum duplex est affinitas cum eadem fœmina ob carnalem copulam habitam cum duabus ejusdem sororibus, non interfuit una, & simplex commixtio eorundem seminum, sed duplex: propterea fundat duplex numero impedimentum proveniens ex fonte diverso. Hinc si Cajus vult ducere Bertam, debet utique exprimere, se huic esse affinem in primo gradu ex duplici capite; non enim per dispensationem unius tollitur aliud, cum dispensationes ex genere suo sint odiosæ, ac strictè interpretandæ. Sanchez de Matrim. lib. 8. disp. 24. num. 5. Rosignolus pariter de Matrim. tom. 2. prænot. 23. Vide quæ diximus 1749. ad 2. Martii.

CAS. III. Capellanus, ob periculum instantis mortis, fecit infirmo omnes unctiones sub unica forma comprehendente omnes sensus. Q. an si post hoc infirmus sit adhuc superstes, nec desit tempus, repeti debeant singulæ formæ, & inungi omnes partes sub suis formis particularibus.

Resp. neg. Ratio est, quia semel ac factæ sunt omnes unctiones, quantumvis sub unica forma comprehendente omnes sensus, jam peractum est quidquid essentialiter requiritur pro valore hujus Sacramenti; unde cum hoc jam infirmo fuerit valide administratum, nec potest, nec debet eo tunc iterari, quia secus denuo conficeretur Sacramentum super eundem infirmum, invariato periculo ejusdem, quod illicitum est juxta DD. comm.

#### M E N S E N O V E M B R I S.

CAS. I. **S**PE matrimonii defloravit Proculus consanguineam, quæ propterea instat, ut dispensationem obtineat, & ipsam ducat. Non renuit Proculus ipsam ducere: præten dit tamen, ut medietas expensarum pro dispensatione solvatur à patre puellæ. Q. an justa sit Proculi præten sio.

Respondeo cum distinctione. Vel deflorata consensit in sui deflorationem, & eo tunc dico, justam esse Proculi prætensionem. Vel non consensit, sed Proculus eam defloravit invitam; & in tali casu dico, prætensionem Proculi esse injustam. Ratio primæ partis est, quia semel ac consanguinea consensit in sui deflorationem, nulla ipsi per talem actum irrogata fuit injuria; ideoque Proculus ea tantum respectu ipsius ligatus remanet obligatione, quæ ex sola matrimonii promissione resultat. Sed ea quæ resultat ex tali promissione, non est de faciendis omnibus expensis pro dispensatione, sed tantum de ea ducenda; ergo ad hoc, non autem ad illud tenetur: proindeque cum dispensatio solvatur in commodum utriusque, juste exigit quod medietas expensarum solvantur à patre puellæ. Ratio secundæ partis est, quia in tali casu, cum fecerit violentiam, adeoque injuriam consanguineæ, ratione injuriæ illatæ, tenetur se habilem reddere ad compensandum ipsi honorem ablatum, & sic ad removenda ex se omnia impedimenta, per consequens & ad obtinendam dispensationem: quamvis enim etiam in hoc casu hæc cedat in commodum utriusque; tamen quia fœmina vim passa est cum injuria, æquum est, ut sine majori detrimento expensarum in con-

Yy

san-

sanguinea, ac ejus patre, ipse dispensationem obtineat, solvat, eamque in uxorem ducat. Ita Rosign. de Matrim. t. 2. disp. 2. §. 27. num. 4. & 5.

CAS. II. Clericus petit à Cappellano, an Sacramentum Extremæ Unctionis conferat ad remissionem pœnæ temporalis debitæ pro peccatis, & quid intelligatur per reliquias peccatorum, quæ dicuntur deleri per idem Sacramentum. Attenditur Capellani responsio.

Responsio Capellani quoad primam partem est: tale Sacramentum conferre ad remissionem pœnæ temporalis debitæ pro peccatis. Ratio in primis desumitur ex eo, quod iis Sacramentis, quibus in Scriptura tribuitur vis remissiva peccatorum, tribuitur etiam vis remissiva pœnæ eisdem debitæ, ut patet in Sacramentis Baptismi, ac Pœnitentiæ. Atqui in Scripturâ tribuitur vis remissiva peccatorum etiam Sacramento Extremæ Unctionis, juxta illud Jacobi; *Et si in peccatis fuerit, remittentur ei*: Ergo &c. Deinde idem Sacramentum vocatur à Tridentino consummativum, & complementum Sacramenti Pœnitentiæ, & à D. Thoma in 4. dist. 23. q. 2. art. 2. quæstiunc. 1. in c. extremum remedium immediate disponens ad gloriam, & cum ea conjungens. Sed hæc non verificarentur, si istud Sacramentum non conferret ad remissionem pœnæ, &c. de ratione namque complementi est, quod participet de efficacia illius, quod complet; nec aliquid potest cum gloria immediate conjungere, ni pœnam peccatis debitam prius remittat. Ergo vere confert ad remissionem pœnæ temporalis debitæ pro peccatis. Responsio postea quoad secundam partem hæc est, per peccatorum reliquias, quæ, &c. intelligi, 1. ipsam pœnam temporalem, 2. pravas dispositiones ad peccatum, animi torporem, debilitatem, ac ineptitudinem ex originali, vel actuali peccato provenientes, qua fit, ut homo non sit ita promptus, & expeditus ad intuenda, & meditanda cœlestia. Unde Sanctus Augustinus lib. ult. de Trinit. cap. 27. alloquens amicum suum, inquit: *Quæ causa est, cur acie fixa lucem illam incommutabilem videre non possit, nisi infirmitas? Et quid tibi eam fecit, nisi iniquitas?* Vide Tournely, ac Rosignol.

CAS. III. Pœnitens, magno suorum peccatorum rubore suffusus, charam ea continentem genuflexus tradidit Confessario, qui præcise eam legit, ac pœnitentem absolvit. Q. an valida sit ista Confessio.

Respondeo probabilius videri quod non, si pœnitens distincte adhuc poterat voce peccata exponere. Ratio est, quia licet Christus Dominus in institutione hujus Sacramenti indulserit pro casibus impotentiae loquendi, ut nutus, vel alia signa sufficiant pro Confessione peccatorum, tamen quoties pœnitens potest hæc voce exponere, præcipit, ut ea voce exponat, ut patet tum ex universali, & antiquissimo confitendi more in Ecclesia servato, cum ex cap. *Quem pœnitet, de pœnit. dist. 1.* ubi habetur: *Præcepit Dominus mandandis, ut ostenderent ora Sacerdotibus, docens corporali presentia confitenda peccata, non per nutum, nec per scriptum manifestanda, dixit enim: ora monstrate.* Hinc Florentinum pro hujus Sacramenti materia designat oris Confessionem. Nec excusat erubescencia, nam potius Christus hoc Sacramentum instituendo, eam intendit in pœnitente: *erubescencia enim victa timore offensi, fit venia criminis*, ut legitur in dicto cap. Deinde cum notum non sit, quanta illa esse debeat ad excusandum ab oris Confessione, maxi-

ma fidelium copia se ab hac statim excusare, putant se satis erubescenciae habere; & sic post paucos annos licite induceretur mos confitendi per scriptum contra communem consuetudinem; quod non est dicendum. Addo, quod juxta Sanctum Thomam in 4. dist. 25. quæst. 3. art. 4. quæst. 3. ad 1. *Sicut in Baptismo non sufficit qualitercumque abluere, sed per elementum determinatum, nempe aquam, sine qua non fit valide Baptismus, ita nec in pœnitentia sufficit qualitercumque peccata manifestare; sed oportet, quod per actum determinatum manifestentur, id est, per proprium verbum, ut ait ibid. in cap. nam alii modi sunt induciti in supplementum istius, sicut Baptismus flaminis pro illo fluminis. Quare sicut Baptismus flaminis inutilis est, quando potest quis per aquam baptizari; ita, &c. adeoque, &c.*

#### MENSE DECEMBRIS.

CAS. I. Exponit Villicus Confessario, se Amasiam concupivisse, & interrogatus quoties id fecerit, respondit se id nescire, & quoad hoc numquam se fuisse ab aliis interrogatum. Q. quomodo Confessarius debeat se gerere cum hoc pœnitente.

Respondeo, Confessarium caute debere se gerere cum Villico pœnitente, ex cujus Confessione dignoscit, pluries Amasiam ipsum concupivisse, quique interrogatus quoties id fecerit, respondet se id nescire, & quoad hoc numquam se fuisse ab aliis interrogatum. Siquidem in primis audiens, quod etiam in aliis præteritis Confessionibus habuerit culpas consimiles, & etiam tunc numerum non expresserit, debet leniter ipsum interrogare, an sciret hæc esse mortalia, & dato quod sic, an sciret quod ultra speciem exprimens sit in Confessione etiam numerus horum, aliorumque mortalium: fieri enim potest, quod id ignoraverit inculpabiliter; at etiam fieri potest, quod id ignoraverit culpabiliter, immo jam ab initio sciret necessitatem hujuscemodi expressionis, sed præ rubore id exprimere neglexit. Si respondeat, semper se id ignorasse inculpabiliter, cum ob eam rem irritæ non fuerint Confessiones, sat erit ipsum interrogare, à quanto tempore incœperit Amasiam concupiscere, & quoties circumcirca intra tale tempus illam concupiscere solitus fuerit intra diem, hebdomadam, aut mensem: an per aliquod tempus intermedium eam concupiscere destiterit, exempli gratia propter alterius absentiam: & habita responsione, grossa quantumvis computatione, si agnoscatur dispositus, erit absolvendus; secus, si è contra. Si postea respondeat, se id ignorasse culpabiliter, aut id scivisse jam ab initio, sed præ rubore, vel ex alio motivo non excusante, numerum reticuisse; tunc monendus quidem de necessitate repetendi eas omnes Confessiones, ac explicandi numerum etiam Sacrilegiorum ob male factas Confessiones, ac Communiones, item de non impleto quoad utrasque annuo Ecclesiæ præcepto: tamen non erit omnino à Parocho dimittendus, immo magna cum charitate adjuvandus, ut bene confiteatur, suppendendo tempore opportuno pro ipso examen; cum rudes, quantumvis per annum exequant propriam conscientiam, difficile admodum attingant species, numerum, & circumstantias peccatorum, iisque magis prossit fac-

tum per interrogationes à prudenti Confessario examen.

**CAS. II.** Sergio Antonium verberare volenti, promissit Cajus corbam frumenti, si verberationem omitteret. Omissit hic, at cum frumenti corbam petit, ipsi eam negat Cajus. **Q.** an illi eam tradere teneatur.

Respondeo negative. Ratio est, quia ei non debetur neque ex justitia, neque ex fidelitate. Non ex justitia; cum enim nullum jus ipsi competeret Antonium verberandi, si hunc verberare omissit, id fecit, ad quod jam tenebatur, & quod ex justitia debebat Antonio. Propterea, cum faciens, vel omittebat aliquid, ad quod tenetur ex justitia, nihil pro eo possit prætere, quia esset prætere pro eo, quod non sibi, sed alteri est debitum, & quidem gratis; & quod saltem in humano commercio, nullus est æstimationis, ideo neque Cajus tenetur ex justitia illi dare corbam frumenti, secus magna aperiretur via simoniæ, & usuris. Neque ei debetur ex fidelitate, quod enim sic maleficis promittitur, non promittitur omnino libere, sed ex quadam coactione, quia nempe aliter noluit maleficium omittere, prout alioquin tenentur, sicut in casu consimili tradit Regius Resol. cap. 4. num. 17.

**CAS. III.** Sempronius paupertate pressus, dormit in eodem lecto cum Cajo, cum quo sæpe habet tactus impudicos. **Q.** an possit absolvi, si cum illo dormire non destinat.

Respondeo negative, supposito quod alias ipsi assignata salutaria remedia, non prosint, & consentire soleat in istos tactus. Ratio est, quia in tali casu frequens relapsus cum eadem persona, & in eodem loco, satis denotat, simultaneum concubitum Sempronii cum Cajo esse respectu eorumdem occasionem inducentem ad malum. Proindeque cum ad hoc præcavendum, agonizare teneamur pro anima nostra, dicendum, quod absolvi non possit, si cum Cajo dormire non desinat.

## ANNO MDCCLV. MENSE JANUARI.

**CAS. I.** **A**gricola diebus festis solet mane ante Sacrum, & sub vesperam colligere fructus in agro, onerare currus, aliaque servilia opera exercere absque facultate sui Parochi, à quo etiam admonitus, excusat factum, dicens, se id facere ad fugiendum otium, & ut possit aliis diebus ferialibus esse expeditior ad agros colendos. **Q.** an peccet mortaliter, & quænam pars temporis censeatur notabilis pro mortali violatione Festi.

Respondeo in primis, Agricolam per se peccare mortaliter, & quidem singulis diebus festis, quibus talia exercet per notabilem diei partem. Ratio est, qui cum hujusmodi opera, utpote servilia, sint die festo prohibita, quacumque festiva die per notabilem diei partem ab agricola exercentur, etiam

etiam interpolate, notabiliter ab eo vltatur præceptum sanctificandi Festum; nam singula illa opera, intra eandem diem ab eodem excitata, continuantur moraliter, & coalescunt in unum opus notabile: sicuti medicæ comestiones intra eandem jejunii diem ab eodem pluries repetita coalescunt tandem in unam notabilem refectionem, & mortalem fractionem jejunii, ut patet ex contraria 29. Propos. dam. ab Alex. VII. Nec agricolam excusat prætestus ab eo allatus sic fugiendi otium, ac se expeditiorem reddendi, &c. Neutrum enim ipsum justificat. Non primum, quia otium vitari potest per alia media non prohibita, immo honesta, ac præsertim vacando Deo, rebusque divinis: *Festi enim dies*, ait SS. D. N. Bened. Papa XIV. fel. mem. tom. 1. Bullar. Constit. 60. *ad id instituti sunt, ut fideles in precibus, divinisque laudibus frequentes, & assidui sint, ut Ecclesiis intersint, Sacramenta ad Animæ vulnerum curationem adhibeant, seduloque se exercent in his operibus, quæ veram pietatem continent, & ut demum Sanctos, una cum Christo regnantes tamquam Patronos, congruis officiis, & honoribus prosequantur.* Non secundum, quia non licet violare Festum, ut quis præcise reddat se expeditiorem ad laborandum sequenti die feriali: alias posset pictor in die festo licite conterere, ac miscere colores, & alius cuicumque artifex servilibus aliis operibus vacare ad eundem finem; quod tamen à DD. commun. reprobatur, ut illicitum, ni simul interveniat vera urgens necessitas, vel alia justa causa id peragendi, & quidem recognita (si periculum non est in mora) & probata à superiore Ecclesiastico; ut pluries declaravit Sacra Congreg. apud Monacellum Form. part. 1. tit. 3. form. 7. num. 7. immo requiritur quod sit scripto probata saltem à Parocho, cum in Synodalibus Diœcesanis Constitutionibus decretum id habeatur, ac expresse præceptum in Epistola Encyclica, data 16. Martii 1737. ad universos Archipresbyteros, & Parochos hujus Diœcesis à Præfato SS. D. N. tunc nostro Archiepiscopo, quam una cum omnibus, & singulis notificationibus, ac edictis, ad bonum Civitatis, ac Diœcesis spirituale regimen spectantibus, die 10. Julii 1755. confirmavit, & in quantum opus erat innovavit Eminentiss. ac Reverendiss. Princeps Vincentius Cardinalis Malvetius, in præsens Archiepiscopus noster vigilantissimus. Quare cum agricola soleat prædicta exercere absque approbatione facta saltem à Parocho; dicendum, ipsum per se peccare mortaliter, & quidem &c. Dico *per se*; nam si bona fide putarit fugam otii, &c. à culpa excusare, & Parochus, audita tali excusatione, nihil reposuit; ideoque is in priori bona fide perseverans, prosequitur operari, tunc excusatur à culpa per accidens, ratione bonæ fidei. Sanchez Consil. tom. 2. lib. 5. cap. 2. dub. 31. Quænam pars temporis postea censeatur notabilis pro mortali violatione Festi, in jure definitum non habemus. Hinc plures DD. spatium unius horæ, duarum circiter alii communius assignant, si non parum laboris circa opus impendatur.

**CAS. II.** **Q.** secundo, an, & pro quot vicibus, & ob quasnam causas possit Parochus suis subditis dare facultatem exercendi opera servilia dierum festis.

Respondeo; posse Parochum in hac Diœcesi dare in scriptis subditis suis facultatem, ut mane, *audito Sacro*, aut post prandium, *fnitis Vesperis*, exercent